


F.F.J. Misc. 3.

1. Faustae precatio[n]es, quibus fecular[em] paro Oliventis memoriam prosequitur et J. S. Weikmann. Gedani 1760.
2. Mon. Sam. Kraus. Adel angnominal und den Rittern abgesetztes Polen. Tribunat. May. 1763. n. Lengnau.
3. Majorum Prussiae civitatum pro iuribus suis vigilantia inter regno 1764. Gedani. act. Lengnau.
4. Quaedam civitatis Gedanensis iura defensa interregno 1764. Ged. ^{auct. Lengnau.}
5. Vox Prudhenorum ad pl. Dom. Valerianum Pewnicki h. t. nuntium terrar. Pruss. in comitiis extraord. Regni etc. 1767.
6. Befreiungen itas die Ungewöhnliche Disposition in Polen p. 2. Auf. Marpjan 1767.
7. Manifest der neuen Confidation Confidationis zu Bar, mit den Anmerkungen eines norwegens. Polen. 1768.
8. Das erste abgesonderte Actus, moris die Strafbarkeit u. Horrifica der nicht unistam Grauen u. Niederkünne upp aufgallen sind. Küttig u. Franz. 1768.
9. Hier Polen, die P. M. der Reich u. Polen an die verfahrene Moribus auf dem Reichstage zu Marpjan 1773 gegebenen y. A. d. fol. 1773
10. Privilegi frainetigen Grauen über die Elagen des Polen, welche das verminiss. Monopolium des Rath Danzig betreffen 1774.
11. Hingabt Rath bei Lagung des Grundstein zu anbau andere größeren Büro in Marpjan. 1778.

(Auf Anordnung des Magistrats am 27. Mai 1879 der Nachleßblätter eingestellt).



FAVSTAE PRECATIONES QVIBVS SAECVLAREM PACIS OLIVENSIS MEMORIAM

A

PATRIA SIBI CHARISSIMA
RELIGIOSISSIME REDINTEGRATAM

PROSEQVITVR
PRAEFATVS NONNVLLA

DE

VIRTVTIBVS MAJORVM
HAC PACTIOME
NOBILITATIS
JOACHIMVS SAMVEL VVEICKHMANNVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR HVJVŠQUE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR ET AD OO. SS. PRAEPOSITVS

M. D. C. C. LX

GEDANI
A THOMA JOHANNE SCHREIBERO

Zb. Sp.



8658

~~636~~
~~55~~

AKC 112 | 77

ILLVSTRI PERMAGNIFICIS
MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS AMPLISSIMIS
SAPIENTISSIMIS INSIGNIBVSQVE

V I R I S
B V R G G R A V I O
P R A E S I D I
C O N S V L I B V S

I T E M
C A E T E R I S P A T R I B V S
C O N S C R I P T I S

E T
S Y N D I C O

I N C L V T I
S E N A T V S G E D A N E N S I S
D E R E P V B L I C A
O M N I L O N G E M E R I T I S S I M I S

HANC
P A C I S O L I V E N S I S
CONGRATVULATIONEM

PRISCA FIDE AC VENERATIONE


D. D. D.

PRECIBVS RELIGIOSISSIMIS NVMEN ADORANS
VT SEMPITERNA GLORIA VIGENTEM
VIRTVTIS SVAE MEMORIAM
ALIIS SVPER ALIA PRAECLARE FACTIS MERITISQVE
VLTIMIS TRANSDANT POSTERIS


MVLTIS NOMINIBVS

OBSTRICTISSIMVS OBSERVANTISSIMVSQVE

JOACHIMVS SAMVEL VVEICKHMANN D.



DE
VIRTVTIBVS GEDANENSIVM
TRANSACTIONE
PACIS OLIVENSI S
NOBILITATIS.



i, quo majorem gratiam diuinis persolui-
mus beneficiis, eo magis haec propria
nobis stabiliaque redduntur, non est du-
bitandum, quin Gedanum, patria mea,
omnes charitates meas complexa, dono Pacis Oliuenfis,
a D E O, gentium pacificatore, concessio, quam diutissime
perfruatur, cuius saecularis memoria ab ea tantis
gaudiis, tanta pietate, tot votis, religiosissime con-
ceptis,

A

ceptis, redintegratur. Videt enim, quem fuerit ad casum perducta, bello quinque annorum calamitosissimo, quod inter Joannem Casimirum, Polonum, Carolumque Gustauum, Suecum, vehementissimis exardescet odiis, quod varia fortuna, aemulatione populorum, socrumque studiis alebatur, quod non, nisi cum extrema partis alterius peste, componendum videbatur. Quoties tum Gedanensis ciuitas, tanquam gubernatore a clauo deturbato, timuit, ne fluctibus cedere cogeretur, undique sublatis, et, quo cunque tempestas raperet, obsecum dare; quoties jacturae potius detrimentum, naufragiique interitum, quam portum salutis, e mari scopulo prospexit! Sed intercessit diuinum Numen, ingentis vastitatis misericordia tactum, ac, praeter spem opinionemque, quietem reddidit eo tempore, quo res in summum discrimen ac perturbationem, omnia miscerent, peruererat. Gedanum praesertim magnifica prouidentiae coelestis documenta cepit, cuius viciniam compositio pacis ornauit, ac salutem incolumitatemque variis conditionibus stabiliuit. Seruauit gratum memorremque animum totum saeculum urbs praestantissima, et, gratias cum referre D E O, tranquillitatis reconciliatori, non posset, habere studuit sacris caerimoniiis et sollemnibus atque agere. Nihil quotaqnis religiosius die quinto Nonas Majas, quod eo pacis tabulae sunt in Oliuensibus sedibus amoenissimis confectae, primo ad bene sperandum sublato signo. Instituitur jejunium, ad

preces

preces castius fundendas, quibus peccatorum venia impetretur, atque in templis omnibus, incredibili concursu, vota pro publici floris perpetuitate nuncupantur. Saepe numero tempus recordor illud, tanta voluptate, quanta commotione animi, quo mihi licuit esse tam felici, ut, in parentum desideratissimorum complexu, tam castis anniuersariis interessem, patriumque solum D E O supplex commendarem. Summopere tum fui miratus ciuum confluentium studia, more institutoque majorum rebus diuinis perfungendi, eoque ardore bona, sibi tributa, ad posteros propagandi. Iam redeunte saeculo, duplicatur officii sanctitas, ac triduum ritibus grauissimis indicitur, omni mentis contentione procurandis. Totus dies in obsecrations vertitur, ut exitium ab urbis tectis, templis, ac moenibus arceatur. Totus sanitati animi, nouo foedere D E O obstringendae, pie dicitur, ad ejus iram in posterum placandam, nouamque gratiam ineundam. Dimidius dies festis agitatur congratulationibus, atque benignitate numinis saeculari laetitia, et voluptate, intimis percepta sensibus, e pacis per saeculum seruatae dono, ciuitatisque florentissimae manente felicitate, consumitur. Augetur reuerentia Sacrorum temporibus trepidis, ad quae consiliis sumus altioribus reseruati. Ardet enim Europa furentibus belli flammis, quod calamitatem plurium annorum industria vix restituendam, ubique locorum infert. Hoc ipsum urbi natali perniciem minitabatur, diuinitus auerrun-

catam, adeo ut ea e faucibus aerumnarum eriperetur, ac secundo fortunae, sine ulla offensione, cursu gauderet. At nos quanta malorum colluione obruimur, quae stuperentes intuemur, quorumque memoriam refugimus. Orbamus adhuc patriae Patre optimo, cuius absentia longior miseriae sensum exacuit, ac desiderium Principis indulgentissimi, haud amplius ferendum, quotidie commouet. Hostis in venis medullisque nostris haeret, nosque, fortunis exhaustos omnibus, in miseram sortem ac miserandam praeccipitat. Vel illi, qui Saxoniam conspexerunt vigentem, periculi praesentis expertes, sibi non temperant a lacrymis, ac tantum splendorem, tam subito extinctum, lamentantur. Ignoscite mihi, Ciues amantissimi, quod jucunditatis vestrae societate paulisper animum a communi tristitia abducere conor, et querelas, profecto nunc necessarias, quodam modo lenire

Quidni Vos faustis precationibus prosequar, quibus multae me grauissimaeque caussae deuinciunt. Non dum me poenitet, in urbe, copiosa ac liberalissimis studiis affluente, genitum fuisse atque educatum. Cineres parentum seruatis, adeo praeclare de me promeritorum, ut hac luce me ipsum censerem indignum, nisi perpetua recordatione eorum curas sollicitudinesque colerem, in constitutuendis rebus forrunisque meis defixas. Patris praecipue nulla Vos adhuc obliuio cepit, haud ignaros, viro beato nihil prius fuisse, antiquius nihil,

hil, sanctioris coetus Vestri integritate, animorumque vita perenni. Hujus ego precibus sicut coetera incrementa debo, sic vestram in me prolixam voluntatem, qua semel iterumque me verbis euocasti longe humannissimis, ad easdem partes, quarum ille mihi poterat exemplum praebere non minus efficax, quam luculentum, pro virili, obeundas. Quanquam mihi fuit obsequii gloria relicta, ac Regis Sapientissimi voluntate, cui vicibus repetitis, Sacramenti fide religiosissimi, me obstrinxeram, in statione manendum, tamen in Vos obseruantiam, in patriae fines amorem nec quicquam minui, neque unquam per omnem vitam deseram. Itaque socium me jungam patruelis sanctimoniae, qua in hac Musarum sede Oliuensis passionis alterum inchoauit saeculum, ac pie Vobis, centesimum clavum fagentibus, acclamabo.

Cogitanti vero mihi, quo tandem pacto proposatum mihi officium tuear, majorum nostrorum tres virtutes magnam sane admirationem injecerunt, egregii publici, in Marte ancipite, custodes atque adjutrices. *Vna* diuinum praepotensque numen, e cuius arbitrio fortuna belli in utramque partem pendet, casta pietate complectitur. *Altera* cum prudentia temporibus inseruendi fortitudinem copulat excelsam, humana omnia infra se putantem. *Tertia* fidem Regi praestat, omnibus minis superiorem, neque ullis pollicitationibus fra-

Etiam, atque in dubium deuocat summam reipublicae prius, quam a sacramento, ex animi sententia dato, turpitudine flagitosissima deflectat. Tulit triplex virtutis vinculum praemium triplex, cuius dulcedinem non illa modo sensit aetas, sed etiam posteri, gloriae heredes auitae, nostra memoria percipiunt. Quid libertate Sacrorum praestabilius, in qua afferenda Patres nostri curam nemini magnitudinemque animi concederunt, quamque tum, cum ea caremus, maximi facimus. Hanc Oliuensis concordia nouis stabiliuit firmamentis, atque ab odiis sententiarum dissidentium acerbissimis vindicauit. Quid Gedanensis prosperitatis fundamenta jecit, quid eam conseruauit, quid continentibus accessionibus auxit. Omnes uno ore nauigandi securitatem, atque amplificationem mercaturaे laudabunt, Oliuensisibus conditionibus roboratam. Oblivionis denique lex sicut pristinarum memoriam injuriam delet, ita noui belli materiam tollit, Gedano tanto magis optanda, quanto vehementius, strenue se gerendo, celsissimae fortunae inuidiam concitarat. Ne haec quidem cautio fuit ab Oliuensisibus transactoribus praetermissa, ad ciuitatem aduersus ultionis iram, atque omnino omne, quod obfuturum sit, protegendarum. Adeo virtutis pro virili expleta et perfecta honestas, se remuneratur ipsa, et, quamuis temporum prematur angustiis nonnunquam, tamen se colligit rursus, malâ depellit omnia, bona cumulat, tam sibi, quam nepotibus, profutura. Me cer-
te

te hic Majorum splendor tantopere cepit, ut, cum statuerem, patriae saeculares ferias in Saxonia concelebrare, hic morari placeret, ac virtutes Gedanensium, in bello spectatas magno pestiferoque, et postea felici pacis Oliuensis exitu decoratas, justis laudibus efferre. Quod propositum si non lectionis copia, quam rerum gestarum explicatio postulat, atque orationis ubertate quadam se commendabit, at virtutis, praecclare factis praestitae, admiratione, atque urbis, quam matrem appellio, caritate, ab liberali ciue non facile deponenda, gratiam inire quandam conabitur

Prima me totum in se conuertit pietas Majorum, in bello, quod pacem peperit Oliensem, in illustribus posita monumentis. Namque tam videbant mente, quam cernimus oculis, casto Numinis metu, in animis omnium firmius impresso, magistratus tutos reddi, ciues obsequentes, exteris probitatis opinione coniunctiores, ut nulla sit vitae ciuilis pars, quae vacare hac virtute principe facile possit. Vel gentes profanae ejus praestantiam perspexerunt, ac vim reipublicae bene gerandae. E testimonii innumerabilibus, quibus vetustas abundat, solos Romanos offeram a Valerio Maximo pro dignitate collaudatos. *Onnia post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summae maiestatis conspici decus voluit.* Quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire, ita se humanarum rerum

rum velut curam gerere existimantia, si diuinæ poten-
tiae bene atque constanter fuissent famulata. Sic se
gerendo, multo fuerunt saniores eo, cuius principatus
inter Philosophos complura saecula in tyrannidem abiit.
Aristoteles enim in virtutibus moralibus pietatis nullam
mentionem fecit, perinde ac si haud in magno ponat
discrimine ciuitas, colatur D E V S, nec ne. Talia reuo-
cauit monstra multorum sentiendi libido, quae ludere
sacra sapientiam putat. Nihil de Dauide Humio dicam,
excitati ingenii, sed graui judicio non temperati. Is, si-
cūt confessā argumenta, quibus, D E V M esse, vincimus,
rursus oppugnauit, ita passim contendit, tanti religio-
nem publice priuatimque non esse, quanti vulgo aesti-
metur, et si nonnunquam parum sibi constet, neque
ad haec adyta prudentiae vulgus admitti velit. Istum
potius nominabo, qui caeteris ducem se praebuit, ad
res sanctissimas contemnendas. Baylium volo, virum
summo ingenio, copia lectionis latissime fusa, dubita-
tionibus tamen continentibus suspensum, et gloriae cu-
piditate de rebus omnibus in utramque partem cum spe-
cie disputandi incitatum. Quantam iste multitudinem,
tum caeteris scriptis, tum, de cometis, disputationibus,
occupauit, ut diuina minimi putarent, in iisque exagi-
tandis nescio, quid acuminis ponerent. Quam temere
de re seuerissima jocatur, ac, propter legem ab Serua-
tore de hostibus amandis latam, hujus disciplinae alumnis
omni

omni bello, sine quo saepe pax non obtinetur, interdit,³ iisdemque irridicula formula, *le courage Euangelique*, Euangelicam fortitudinem, vitio vertit. ⁴ Sed audacius nihil comparatione impii cum superstitione, ubi non modo mirabili declamatione, uter e duobus desipientibus sit sapientior habendus, anquirit, sed clandestinis etiam insidiis, dum superstitionem licenter eludit, religionem petit, atque in hanc malorum conjicit omnium culpam, quae peruersa D E V M colendi ratio ac furens hominum generi intulit. Complures id aegre tulerunt, atque hunc indignum repulerunt impetum praecipientes animo, quid quantumque detrimenti tantum lumen ingenii atque eloquentiae possit inferre. At concinnius nemo, nec tamen sine robore, illius vanitatem coarguit Montesquiensi, in libro quantius pretii, prudentiaeque ciuilis lectissimae, de anima legum. Nullam Baylio facit injuriam, quod ejus opinionem monstrosam vocat inconditamque, praestare impietatem superstitioni, nec tantum periculi nullam religionem minari, quantum prava progignat. Nihil autem noui reperiunt, qui Plutarchum de superstitione legerint, e cuius fontibus, sicut plurima alia, haec Baylii manarunt. Alias Montesquiensis acute, quibus Baylius fallaciis alios irretiat, aperit. Quid magis alienum, ne durius loquar, quam D E V M comparare cum homine,

B

ut,

³ Pensées diverses à l'occasion de la Comète p. 276.

⁴ l'Esprit des loix P. V. c. 2.

ut, quoniam parui referat, hominem quendam esse, etiam numen credere nihil generis humani intersit, et, cum Baylius praeoptet non esse, quam malus dici, DEI quoque negatio falsis de eo opinionibus anteferatur. Agrippae vero, de vanitate scientiarum omnium conquerentis, ratiocinationibus simile judico, quod Baylius vero de DEO sensui vim sanandorum hominum derogat, quia tam paucas emendet. Quasi rei ipsius efficientia debeat hominum, multa saepius impedimenta objiciendum, tractatione atque usu aestimari. Num rationi, magnae Baylii Deae, parent omnes, num legibus obsequuntur, ideo tamen ab fano spernendis nemine. Istud prorsus non tolerandum, collegisse Baylium, dimissis commodis, quibus societatem humanam cumulauit religio, cunctis, damna quam plurima, quibus pietatis simulatio hanc obruit uniuersitatem, ipsisque religioni ea criminis dedisse. Quantis, quaeso, dominatio crudelis ac superba vexauit aerumnis terrarum orbem, atque historias omnium temporum querimoniis grauissimis impleuit. Quis tot flagitia justis exprobrabit imperiis, aut illorum propterea necessitatem opportunitatemque in dubium reuocabit. Haec quid numinis honori debeant, Montesquiensis tanta vi dicendi amplificat, ut verba ejus dignissima videantur, quae Principum sanctuariis omnium inscribantur, ad sempiternam memoriam. Princeps, inquit, *religionis amans ac timens, est leonis instar, qui manu sibi blandiente, vel voce se emolliente, domatur.*

Princeps,

Princeps, qui religionem metuit, atque odit, similitudinem gerit beluae, catenam mordentis eam, quae ab impetu, in praetereuntes faciendo, prohibet. Princeps, qui religione caret, viuit atrocis ritu ferae, tum libertatem suam sentientis, cum dilacerat omnia ac deuorat. Tantum momenti situm, ad rem publicam bene beateque administrandam, in D E O dignis sententiis, summi viri judicio, qui nostra aetate scientiae ciuilis celebritate paucos pares habet. Quod si numen est domi adeundum caste, quanto magis pietas foris adhibenda, cum vel res ad arma spectare videtur, vel arma jam inferuntur, siue prospere consilia successerint, siue discesserimus inferiores. D E V S enim sicut gentes bellicosas dissipat, bella ubique coercet, arcus frangit, hastas comminuit, ita regiones, peccatis obrutas, hostium furori tradit. D E V S victoriam concedit, cuius parum refert, utrum ingentes exercitus comparentur, an manus parua magnas copias profliget. D E V S aduersariis, quo vehementius e repentina conuersione doleant, secundiores interdum res ac diuturniorem impunitatem concedit. D E V S pacem restituit, quo tempore nemo sperat, ut oculis cernamus, non artibus hominum ac viribus animas, caedem sanguinemque spirantes, mitigari, sed altioribus frenis flecti. Quae cuncta non sacer modo codex pluribus testimoniois ac luculentis comprobat, sed etiam gentes profanae, tot exemplis cognita, profitentur, etsi, pro superstitione sua, nutum

DEI, fortunam vocent. Tullius sane, popularibus iudiciis seruiens, quam parum virtus in bello possit, quantum e bellicis ornamenti fors, rerum humanarum domina, decerpatur, Caesari commentandum proponit. Quo clementiam ejus, Marcello venia data, exornatam splendidius amplificet, eam cum victoriis illius confert eo consilio, ut mansuete moderateque factum rebus fortissime gestis anteponat. Has cum multis communes judicat, illud ejus, qui se vincat ipse, proprium. Ad quod corroborandum, cui sit plurimum in armis defendum, magno flumine ingenii persequitur. *Maximam partem, quasi suo jure, fortuna sibi vindicat, et, quicquid est prospere gestum, id paene omne dicit suum.* Ac profecto, si quae sunt vitae nostrae vicissitudines, in quibus Deus se non possit otiosum praebere spectatorem, bellum summam hujus terrarum orbis propius attingit, quam ut prouidentia istud e longinquo contemplari, et quasi aliud agendo, negligere possit. Quot millia innocentissimorum hominum fortunis euertit omnibus, quas solus capititis contactus in mali societatem vocat. Horum gemitus ac ploratus num pronoea videat atque audiatur, quin iis opem praesidiumque ferat. Nouas bellum formas in gentes nationesque inducit, in longa duraturas tempora, unde publica felicitas, non priuata solum, dimanat. Tam late patentes conuersiones num sapiens DEI oculus praeteruolabit. Arctius Numinis ciuitas

ciuitas cum rerum publicarum temporibus cohaeret, quam ut illam bellum non concutiat. Num curam ejus auctor statorque coetus sui, qui propter hunc mundo fauet, unquam dimittet. Haec illis incredibilia videntur, qui nec prouidam **D E I** mentem intelligunt, neque conseruationem, mundo necessariam, ut ne momentum quidem sine **D E O** se tueatur, justa deliberatione reputant, nec genera formasque descripte capiunt. Equidem ea, quam debemus eminentis fortunae scriptoribus, modestia ad librum accessi, qui *Oeuvres du Philosophe de Sans-Souci* inscribitur. Nonnullos versu*l* locos accuratius, varietate ductus argumentorum ac magnitudine. Haec attentionem mouet, illa retinet. Jucundissimum praebet spectaculum veri, rationi nostrae insiti, sacrisque oraculis repetiti, certamen cum dubitacionibus sapientiae sibi ipsi confidentis speciosis. Vis luctationis adeo mirificae specimen, diu in tanta copia non quaeres. Diligentius saltem epistolam quintam perquirere, quae imbecillitatem humani verbis exaggerat ingenii, nec plura desiderabis. Utinam mens nostra hujus infirmitatis sibi semper esset conscientia, praecipue tum, cum de providentia **D E I** philosophatur, ne, diuina miscens humanis, se aliosque, exemplis nimium tribuentes altioris fastigii, ab recta veritatis via abducatur. Qua cautione duce, sine labendi periculo, literas rimabimur, ad Maupertuisum datas. ⁶. Hae cupiunt obtinere,

nere, prouidentiam non in rebus singularibus versari, sed harum formis. *La prouidence ne s'interesse point à l'individu, mais à l'espèce.* Vel elogium literarum aliqui fortasse aliquam excitare poterat admirabilitatem, Philosophum ad Philosophum ita scribere. Etenim inter Philosophos, hodiernis literis excultos, constare existimes, genera rerum formasque per se non esse, sed in rebus singularibus reperiri. Has animus noster interfere contendit, in quo conueniant, animaduertit, atque ex ea rerum singularium inter se similitudine specierum, quae dicuntur, notiones informat. An prouidentia iis, quae non sunt, nisi in mentis agitatione, constringetur, neque ea potius, quae vere sunt mundi compagibus comprehensa, respiciet. Regnum formis principatus continetur. Ecqua ratione philosophus ad regni peruenit notitiam. Considerat hujus orbis regna, in quo consentiant, in quo discrepent, expendit, donec plurium conuenientia regnorum, quid regnum speciatim nominetur, ostendat. Latet igitur in animo philosophi regni forma, non in hac uniuersitate separatim cernitur, sed in singulorum regnorum conformatione. Num prouidentia majorem habebit rationem regni, cuius imaginem mens sibi nostra fingit, quam Danici, regis sui non minori pietate, quam vera sapientia, felicissimi. Ne spinosius videar haec tractasse, virum faciam loquentem, cuius philosophiam Principes quoque ad solium suum admittunt. Grotius pro me verba faciat in aureolo

aureolo libello, nec satis omnis fortunae hominibus laudando, de veritate religionis christianaæ. ² Neque minus falluntur, qui uniuersalia a DEO curari volunt, non et singularia. Ipsa rerum genera, quae a DEO conseruari illi ipsi auctores agnoscunt, non subsistunt nisi in singulis, ita, ut, si singula perire possint, abdicata a diuina prouidentia, possint et ipsa genera. Quam facile Grotio fuit, ex interiore philosophia totum sententiae fundamentum collabefacere, quae formas rerum imaginarias gubernationi diuinae, non res ipsas, subjicit. Nec vero Philosophus Sansoucyensis tam graues afferre videtur caussas, quae nos cogant, res singulares coeco relinquere cursui, remota numinis procuratione. Variis quidem coloribus uberrimum ejus ingenium pingit opinionem, prouidentiam cuncta non complecti. Sed vereor, ne peruulgata nimis mihi sint reuocanda, in omnibus si velim nunc immorari. Vnum feligam, primo, non sine cauſa, loco illuminatum, quod magnificis de summo Numine judiciis exsplendescit. Satis arbitratur, philosophorum princeps, primum rerum motorem ignotum, cauſamque ultimam, antiqua materia in formam redacta, mundo leges sanxisse immutabiles. Ecquae sunt leges, quae, sine latoris ope sui, cursum semel institutum, semper retinent. Leges, ut grauia deorsum, ignes undante flamma sursum ferantur, aqua sine recessu praecipitetur, pomorum grana rosas non

non ferant, ac suis quaeque effecta caussis seruant. ⁸
 Leges perturbationum animi humani, ut Heraclitus
 fleat, rideat Democritus, similiter obscuro quodam or-
 dine diuinitus per genus hominum diffusarum, ad va-
 riandum mundi spectaculum. ⁹ Sicut igitur auctor ho-
 rologii peritus, hoc apte conformato, primumque per-
 moto, discedat securus, ejusque opus consilio respon-
 deat, ita mundum sine numine, a quo principio mouea-
 tur incitatus, alieni non amplius auxiliis egere. ¹⁰ Mul-
 ta sunt hic mihi diuidenda, ne res dissimillimas confun-
 dam. Largior constantes naturae leges nec mutabiles,
 ratione rerum cretarum, non creatoris, habita. Re-
 gias leges non possunt ciues commutare, Princeps
 tamen ipse potest. Num deo minus in sanctionibus li-
 cebit suis, quam summis imperantibus, a quo Philoso-
 phus

⁸ p. 105. Ce moteur inconnu --
 aux êtres imposa ses immuables loix
 vers un centre commun grauitent tous les poids,
 le feu dans l'air élue une flamme ondoyante,
 l'eau sans rétrograder suit le cours de sa pente.
 Jamais pepin ne produira des roses,
 les effets sont toujours les esclaves des causes.

⁹ Ainsi l'homme en naissant reçut les passions,
 un Héraclitepleure, un Démocrite rit.
 Dieu fit ces passions, une main inconnue
 dans un ordre ignoré partout les distribue.

¹⁰ p. 107. Sur de son ouvrage un Horologer expert
 donne au mouvement son allure constante,
 au principe moteur la montre obéissante
 dans l'absence du maître accomplit ses desseins p. 105.

phus Sanssoucyensis recte naturam fecernit, cujusque arbitrio primam mundi constitutionem, sine tergiuersatione, summittit. Nec vero natura vi pollet ea, ut per se ipsa remoto quamlibet effectore, hujus scitis jussisque obsequatur. Quicquid enim habet, a parente suo, DEO, accepit, sine cuius adjumento ne momentum quidem stabilis permanet. Quis nescit, hanc rebus fortuitis seu contingentibus indolem tributam, ut nunquam rationem sui sibi confientem sumministrent, semper ex alienis praesidiis, unde sint initio ortae, pendeant. Tales sunt naturae compages, quae nunc cohaerent, prius non fuerant, quae hoc ordine copulantur, cum nihil prohibet, quo minus in alium redigantur. Neque mouet artificis ab horologio suo digressus, toties ab hominibus doctissimis repulsus. Ab hoc enim sola operis elaboratur forma, aliunde materiem capit. At DEO mundi non solum structura debetur, sed rerum etiam principia, e quibus omnia constant. Nonne si temporis longitudine vel partes operis conteruntur, vel totum dilabitur opus, ad fabri industrijam refugimus, quae depravata corrigat, restituat collapsa. Quis mundum tot superare saecula potuisse opinetur, molitore suo nullas ei suppetias ferente. Sed video, quid tantae luci te-nebras offundat. Sententia de materia aeterna praeconcepta sic in animum fese insinuat, ut verum cernere non possit. Satis nos candide in has erroris latebras ducit Philosophia Sanssoucyensis, quando materiam, cui hujus

C

opifex



opifex aedificatorque mundi formam dederit, antiquam salutat. *En donnant une forme à l'antique matière.* Evidem saepe multumque miror, quid sit, quod homines alioquin doctissimi talem creatori molem adjungant. Veniam facile do Philosophis ante seruatorem natum, quibus explicatior uniuersitatis conditae notitia defuit. Nostra vero memoria, qua sanctiora monimenta rationis acuerunt animaduersionem, prisca ista materia, e qua sint omnia expressa atque effecta, omnem veri colorem amisit, sibi ipsi vehementer repugnans. Quid incredibilius eo, quod immutabile simul ac mutabile ponitur. Mutari nequit materia vetustissima, ut potest quae sua vi semper fuit, simplice praedita necessitate. Neque eo secius flexibilis tota atque commutabilis, a D E O ultiro citroque versatur, ut multiplices formas induat. Haec qui in concordiam redegerit, lauream reportet. Illud omnium minime ferendum, culpam vitiorum nostrorum in D E V M conjici, animique tumultus ex hoc fonte, quo nihil purius, deriuari. Inseuit, haud nego, hominum pater indulgentissimus studium expectendi bona, mala refugiendi. Namque sine his stimulis, felicitas sibi nostra constare nullo pacto poterat. Quodsi Democritus, modo verum sit, quod dicitur, in risus effunditur, Heraclitus inter gemitus sedet lacrymasque, uterque re optima perperam utitur, sua ductus stultitia, non coeco legum, diuinitus rogatarum, instinctu. Quo circa fixum maneat ratumque, res singulas

gulas a Numine ita curari, ut ope diuina non conseruentur modo adjuuenturque, sed etiam regantur, bonis peragundis, malis permittendis, ad gloriam DEI amplificandam, ac mundi salutem perficiendam. Nihil hanc in sententiam praestabilius frugifera disputatione vicesima quinta scriptoris Antimachiauelli, de vi fortunae in hominum negotia, et qua ratione ei resistatur. Sobrie fortuna in sonis numeratur inanibus, cunctaque ad causarum concursionem referuntur eam, quam nulla cujusquam hominis mens et cogitatio affequi possit. Quid hic omnia videns oculus DEI in rebus singularibus efficiat, commemorabilibus exemplis monstratur. Obstupesco fane, quoties manicas istas mihi ante oculos propono, quas Marlboroughia Annae Reginae praereptas occupauit, quae ejus maritum de gradu postea dejeerunt, quibus Rex Gallorum pacem nec opinatam, in summo rerum discrimine, retulit acceptam, quas, praeter expectationem ciuilis prudentiae, omnis totius est Europae conuersio secuta. Quid ad haec viator Machiauelli. " *Sic luditur in rebus terrae grauissimis, sic prouidentia omnem sapientiam hominum ac magnitudinem ridet. Exiguæ nonnunquam caussæ ac ridiculae saepenumero imperiorum fortunam magnorum conuertunt.* Haec tenus ille

Satis igitur laudari non potest Majorum virtus nostrorum, qua, data qualis occasione, demonstrarunt, nihil se dubitare, quin secundi belli casus aduersique a DEO, rerum nostrarum moderatore, proficiscantur. Cujus pietatis complures possem specimina cumulare, ipsorum grauitate longe dignissima. Satis autem videatur, duo exempli caussa proferre. Reuerterat Joannes Casimirus in Poloniam, unde eum vis hostium major pepulerat. Secundiore postea Marte pugnarat, satis ostendens, sibi neque animum deesse, neque robur regni tuendi. Poloni praesertim, auitae gloriae memorares, varias Suecis calamitates intulerant, ut res breui in meliorem locum redditura videretur. Tantas spes cum crebri afferrent nuntii, quis tandem Gedanenses stimuluss exacuit. Oculos sustulerunt in coelum, et, gratiis in omnibus templis actis, religiosissimum gaudium declararunt.¹² Idem religionis sensus animos rexit, cum, superatis incredibilibus difficultatibus, discordiae minuerentur, tandemque pax oliuensis finem malis omnibus afferret. Tubicen mittitur Gedanum, ad nuntiandam Regi confirmatam concordiam. Noctu venit in urbem, suoque clangore sopitos excitat. Laetitia Gedanenses quiescere

¹² Vid. G. N. Curieke Histor. Beschreibung der Stadt Danzig, p. 369: Diese Gesandten reiseten den 13. April wohl vergnügt wieder nach Polen: den 30. April Sonntags wurde in allen Kirchen öffentlich Danksgung gehan, weil gewisse Zeitungen waren eingelaufen von Ihrer Königl. Majestät Joannis Casimiri glücklichen Progressen wider die Schweden.

quiescere non sinit. Quorsum comméant omnes. In aedes sacras, quarum campanae totam noctem personant, insequens autem dies Vtus Non. Maj. supplicatio-
nibus festis agitatur, ad immortale beneficium grata
mente complectendum.¹³ Quae Majoribus sententia tum
steterit, grandius eloqui non possum Vuernsdorfio, vi-
ro tantum praedicando, quantum lectissima doctrina,
virtutum pulcherrimarum choro stipata, laudari mere-
tur. Is hoc ipso Pacis oliuensis documento peruincit, res
singulares a D E O temperari, in diatribe, qua actum ora-
torium A. D. XIII. Kal. Jun. habendum denuntiauit.
Principium belli comparat cum fine, consilia Regum in-
ter se dimicantium percontatur, variamque voluntatem
dissensionis mitigandae, in primis caussas suscepti pacis
negotii anquirit, ut appareat, vim humana superiorem
regnum vicissitudines moderari, qua longe aliter,
atque homines sapientissimi cogitarunt, constituantur

Pectus pietate corroboratum numinisque fiducia
nullis cedit malis, sed contra progredivit audentior. Si-
cut enim parens illa foecunda caeteras profert virtutes,

C 3

sic

¹³ id. p. 383. Solchen längst verlangten Friedenschluß Thro Königl. Majest. zu hinterbringen, ward also fort in der Nacht ein Trompeter nach Danzig geschickt, bei dessen Ankunft eine grosse Freude in der Stadt entstunde, jedermann stund von seinem Lager auf, in allen Kirchen wurden die Glocken gelau-
tet, und der folgende ganze Tag (war der 3. May Freytags vor Jubilate) GÖTE zu Ehren höchstfeierlich begangen.

sic animum munit aduersus pericula , ut ea contemnat superiorque discedat. Sed hoc nomine digna fortitudo non minus a feritate latrociniorum , quam audaciae coeco est impetu secernenda, si suum volet decus retinere. Immanitatem facile cauebit, illud semper recordata, quod est a Stoicis praeclarissime dictum , fortitudinem virtutem esse , propugnantem pro aequitate. Itaque multum dignitatis amittit Achillis stabilis animus ac firmus, quod iracundus, inexorabilis, acer, jura negauit sibi nata, nihil non arrogans armis. ¹⁴ Contra ea prisci Romani aeterna gloria florent, qui puro pioque duello, piis justisque armis, ut eorum formulis solemnibus utar, res quaerendas censuerunt. ¹⁵ Primum igitur omnium vir fortis secum reputat, num rectis de caussis bellum geratur. Nouit enim, frangi injustitiae metu militum vires, juris atque aequi certa confisione attolli. Nouit impunem vix redire, quisquis injuria arma ceperit. Nouit contra jus fasque bellantes, quo grauius commutatione rerum percellantur, ad breue tempus secundioribus rebus perfrui. Nec vero leges modo fortitudo semper habet sibi propositas, sed etiam sapientiam comitem adjungit, ne potius audacis pertinaciae nomen reportet, quam fortitudinis. Sic animata, quid publice expediat, maxime perpendit, ut pro communi salute, non commodis suis, pugnet. Cui quoties opes repugnant priuatorum,

¹⁴ Horat. Art. poët. v. 120 sqq.

¹⁵ Brisson. de formul. solemn. IV. n. 13. p. 323.

uatorum; eminente imperio, harum jaetura reipublicae majus damnum redimit. Moenia communit, loci prae fertim natura valida, plus tamen roboris in obsequio ci uium constantiaque ponit. Praecipue videt, ne bonorum specie capiatur, quibus gentes inter se decertantes illam corrumpant allectam, atque ab honestate dimoueant, qua vera fortitudo vacare non potest. At omnium maxime fugit neutrius partis studium, quo multi grauissimis se calamitatibus onerant, eas quando consilio satis specioso conantur euitare. Incidunt enim tempora, cum vinculum, quo Principi tenemur obstri eti, nos deuincit, ne societatem reformidemus periculi, sed conjunctis viribus istud propulsemus. Tunc medium qui se gerit, ab officio turpisime discedit. Ciuitates postremo infirmiores, foederibus initis, aliena quaerant auxilia, hisque confirmatores, hostibus metum incutiant, suis animos addant. Prudentissime is, qui Machiauelli dolos redarguit. ¹⁶ *Quamuis foederati suis nonnunquam promissis baud stetisse legamus, plurimum tamen semper conductit, foedera pangi. His quot nobis junguntur, tot minuantur hostes, ac, si nos parum juuerint, at nihil officient, neutri dediti.* Quibus comparatis praesidiis, armandus animus est magnitudine, ne cui homini, perturbationi, fortunae succumbat, sed omnia, quae cadere in hominem possint, subter se habeat. Sic affectus, res geret maiores illas quidem ac salubres,

¹⁶ Antimach. p. 267.

salubres, quamuis difficillimas, plenasque laborum ac discriminis vitae, non solum rerum externarum. Quam bene ageretur cum genere humano, in bellis omnibus si talis fortitudo gentes inflammaret. Sed bene multi suis impelluntur cupiditatibus, non utilitate vera jurisque obseruantia, audaces magis, quam robusti constantesque nominandi. De his quid videatur existimandum, Philiscus liberius Alexandro magno aperuit.¹⁷ Non virtuperat ejus ardorem gloriae, verum ne sit pestilentia, ac magnus quidam morbus, sed valetudo, vehementer exoptat. Qua voluit imagine bella significare, per vim acerbiusque regnare, expugnare urbes, populos deletere, contagionis esse, sanitatis ac salutis, parcere subiectis ac prospicere.

Itaque me summopere delectat imago fortitudinis Majorum nostrorum, quam nunquam contueor, quin germanam virtutis in bello indolem suspiciam. Prima illos afficiebat sollicitudo de caussis belli, jurene mouerentur arma, an injuria. Viderant, Carolum Gustavum viginti sex annorum paetas inducias, necdum finitas, fregisse. Joannem vero Casimirum, senserant, omnia prius jure, quam armis, expertum. Legationes enim, quae mandata perferebant, vel non admittebantur, vel, repudiatis conditionibus, breui comperiebant, in comitiis Suecicis jam bellum decretum, omniaque comparata,

¹⁷ Aelian. var. hist. XIV. II

comparata, ut res ad vim deduceretur. Illud non conjectura, sed oculis manibusque gedanenses tenebant, Suecum dimittere facultatem noluisse, Poloniam, omnibus opibus exhaustam, atque a duobus hostibus misere vastatam, in extremum discrimen redigendi.¹⁸ Plus dabat juris necessitudo cum Polonia, atque ad arma vocabat, quibus commune periculum ab regno depellere-tur, quod Gedanum in fidem tutelamque receperat. Belli cognita justitia, nihil magistratus praetermisit, quod ad urbem defendendam valeret. Cui propugnationi cum viderentur multa aedificia offutura, haec demolie-bantur partim, partim delebantur incendio, ut ne sacrif quidem aedibus commodi publici ergo parceretur.¹⁹ Nec Sueciae Regem praeteribat, quantum momenti Gedanum ad belli fortunam haberet. Quare blanditiis primum incolas ejus deliniebat, ut vel sibi eos adjunge-ret, vel ad neutrius partis benevolentiam permoueret, quo saltem cessatione torperent. Cum blandiloquentia nihil efficeret, Sueo se ad minas conuertit, exprobrata Magistratui temeritate, qua, inficiis ciuibus atque iniuitis, arma in se cepissent, ac famosis libellis suam regni-que dignitatem minuissent, quam contumeliam placare non possent, nisi statim, positis armis, ad officium redirent. Minae tam vehementer jactatae Majores non fregerunt, sed erexerunt, ut modestissime responderent, criminaciones, sibi oblatas, tollerent, et, quid in suo

D

effet

¹⁸ Londorp. Reichshandl. Vol. VII. p. 1001. ¹⁹ Curicke l.c. p. 367. seqq.

effet officio, grauiter explicarent. ²⁰ Sueonum tamen Rex iram non sedauit, qua acutus, duabus expugnatis munitionibus, aggeres perfodit, ad aquas urbi intercludendas, omniaque eluuione peruaastanda. ²¹ Verum Patres Gedani quam maturrime cauerunt, ne tanta vastitas, quantam moliebatur ille, redderetur. Interea tum Bataui, tum Dani, subsidio patriae venerunt, suoque aduentu non minorem voluptatem, quam spem rei bene gerundae, excitarunt. Namque horum plurimum referebat, portum Gedanensem saluum incolumentque praestari, ac nauigandi libertatem, mari Baltico non infidioso infestoque, fulciri. Qua mente, in eunte Majo, triginta Belgarum naues ancoras jaciebant, incursiones Suecorum repressurae. Breui post Danica classis decem nauigiorum sese consociauit, ipso Rege Friderico III praesente, suamque prolixam voluntatem semel iterumque ac saepius urbi declarante. ²² Tot tantisque praesidiis aucti Gedanenses, animos confirmarunt, magnamque fortitudinis gloriam passim retulerunt. Abundat historia belli egregie factis. At instar omnium sit firmitas animi, qua sunt Haupto munimento potiti. Aliquoties hunc locum, a Suecis magnis operibus munitum, suaequre negotiationi perniciosissimum,

in

²⁰ Literas ultro citroque missas, lege in theatro Europaeo P. VII. p. 945 sqq.

²¹ Puffendorff de rebus a Carolo Gustavo gestis L. III. §. 15-20.

²² Curicke p. 369 sqq.

in potestatem redigere conantur. Frustra. Tandem molestiis fatigati, sumptibus non mediocribus, audent propugnaculum obsidere, atque intra duos menses feliciter capiunt, eoque successu non parum pacis studia fouent. ²³ Nam exoptatum fortitudo reperit exitum, justitiae custos, quando sapientia consilia capit optima, eaque celsum animi robur atque erectum suscipit, ac fine mora perficit

Nouo fulget splendore Gedanensium virtus, quem fides in Principem constans ac perpetua sempiternae posteritatis memoriae commendabit. Vniuerse nihil hominum inter homines societati opportunius, nihil magis necessarium, quam fides. Haec enim dictorum conuentorumque constantia et veritate communitatem vitae nostrae seruat, sine qua sollicita nos diffidentia segregaret, ut soli viuere mallemus, quam continentibus fraudibus decipi. Quodsi jurejurando fidem astrinximus, detestabilis esset nequitiae, promissa fallere. Illud violaremus, quod inter homines sanctissimum ponitur, aliquo numinis sensu tactos, neque intoleranda barbaria efferatos. Quid enim facimus jurantes. Affirmatione religiosa ipsum D E V M testem vindicemque sceleris prouocamus. Quocirca sacramenti violatio numen ludificatur ipsum, et, horreo dicere, ejus sanctitatem, justitiam, vim, deridet. Sanctius jusjurandum fidemque grauitas

Romanorum tractauit, quae fidem in Capitolio Joui posuit vicinam, ut omnes intelligerent, quanta cognatione fides ac religio inter se colligarentur. ²⁴ Vtriusque cultum non simulacris modo prae se tulerunt, sed etiam factis probarunt, exemplo M. Attilii Reguli, a Cicero ne summa eloquentia amplificato. ²⁵ Nec recentiora tempora sunt adeo depravata, ut, quid fides jurata valeat, ex memoria nefarie deponant. Specimen fidei publicae obseruantiaeque jurisjurandi Elisabetha, Angliae Regina vere magna. Foedus cum Gallo inierat aduersus Hispanum, ut inter se fidem jurejurando obstringerent. Henricus vero IV videbatur occasionem captare, ab officio recedendi. Quid ad haec Princeps gloriofissima. Ad Galli conscientiam coram d e o prouocat, an Rege putet dignum, caussam ab iis disjungere, quibus se tantis obtestationibus adjunxerit. Causam subjungit grauissimam. Gentes quasdam, ut potentiam consequerentur, foedera neglexisse, sed euentu plerumque tristissimo. Res enim societatis humanae nisi fide steterint, potentia neutiquam posse consistere. Foederis igitur religionem, et pactorum fidem, non nisi inter prauos, retia texi ad frustrandum. ²⁶ Sic Regina, ciuilis prudentiae peritissima, rectius de Spartanis judicat, hominibus nostrae aetatis, nimiis eos laudibus efferen-

²⁴ Rycquius de Capitolio Romano c. 42.

²⁵ De offic. III. c. 26 sqq.

²⁶ Camdenus Annal. Rerum Anglicarum P. IV. p. 753 - 755.

efferentibus. His, quod merito castigat Aristophanes, neque ara, neque fides, neque ulla firma pactio man-
 fit. ²⁷ His Sacra menta tam vilia solebant videri, ut iis
 viros circumuenirent, tanquam pueri talis. ²⁸ Quis fu-
 ror animi, quae caecitas mentis homines ad rerum tan-
 tae sanctitatis contemptionem impellit. In aliis existunt
 honoris, imperii, gloriae, cupiditates, ut capitalem
 Eteoclis vocem vita exprimant, si violandum jus, re-
 gnandi gratia violandum, aliis rebus pietatem colen-
 dam. ²⁹ Alii specie capiuntur utilitatis, ut res natura
 coniunctissimas, commoda honestatemque sejungant,
 quales jam fuit Socrates execratus. Habes Systema,
 quod nostra memoria celebrat, conuenientiae, quo,
 quicquid utile, justum declaratur. Nihil in eo noui,
 quod non Parthi fuerint secuti, sic ab Justino depicti.
 Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit. ³⁰
 Saepenumero priuati conqueruntur, amicos, rebus flo-
 rentibus magna turba adhaerentes, aduersa fortuna dis-
 sipatos, seque solos relictos. Nolite, Principes, opi-
 nari, meliorem vobis fortem sperandam. Donec eritis
 felices, assentatores vos plurimi in coelum tollent, nec
 pauciores confoederati vestram expetent amicitiam, ca-
 lamitate vero pressi, non sine admiratione spectabitis,

D 3

plerosque

²⁷ In Acharnensibus act. II. Sc. II. p. 29.²⁸ Plut. Apophth. Lacon. c. 94.²⁹ Cic. de offic. III. 21.³⁰ XLI. 3.

plerosque diffugere, plerosque de vestris laudibus detrahere, plerosque fidem vobis pactionibus datam defere, nullo vobis reliquo solatio, nisi ut vestra vos virtute inuoluatis

Quo rario **Gedanensium fides**, Regi suo spectata, eo majorem illis gloriam rerum documenta gestarum comparabunt. Huic insigne decus parit, quod illis temporibus obsequium coluerunt, quibus Joannes Casimirus, regno pulsus, parum, imo vero nihil, eos adjuturus videbatur. Jam Poloni cum Suecis aciem ad Czarnouam instruxerant, ut proelio, utri utris imperarent, decernerent, eos cum maximus imber dirimeret. Interea, captis consiliis, Polonus praestare judicabat, copias in proximam subducere siluam, relictis omnibus impedimentis, atque inde Cracouam properare. Ne sic quidem consistendi locus dabatur, sed, aduolante exercitu numeroiore, Polonia fuit relinquenda, atque in Silesiam migrandum. ³¹ Nihil erat, quod amplius vi etrices Sueciae copias retardaret, per Sarmatiam longe lateque dominantes. Terror enim tantus omnes incesserat, ut vim vi repellere nollent, seque sponte dederent. Thorunium saltem atque Elbinga, ne de pluribus ciuitatibus commemorem, persuasionibus Sueci, ne calamitates obsidionis, quas perferre non possent, sibi contraherent, statim cesserunt, ac, sine ulla dimicatione,

in

in ejus fidem potestatemque venerunt. Num se Gedanum fluctibus permittit. Stat instar rupis firmae, quae undis alliditur, loco non mouetur, atque extrema perpeti mauult, quam fidem, Regi datam, ac sacramento obligatam, nefarie deserere. Ut igitur omnem perfidiam atque iniuriam refrenet domi, DEI metu ciues pariter atque exterros permouet, eadem juris jurandi formula concepta, quam in bello cum Gustauo Adolpho suis praeiuerat. ³² Ecce verba priscae plena grauitatis. *Juro, me Regi Poloniae Joanni Casimiro, clementissimo principi ac domino, atque huic urbi fidem studiumque conseruaturum, commodis publicis pro virili seruiturum, his periculis belli tempestatibus concordiam retenturum communem, et, quicquid mibi charum est atque antiquum, periclitaturum.* Quae solemnis religio coaluit ita, ut sibi postea semper constaret, nullis labans vel suspiciosissimis turbis. Retulit Gedanum stabilitatis suae, aequali tenore perseuerantis, amplissimum pretium legatione regia triumuirum dignitatis splendidissimae. Haec enim, regio nomine, in uiolatae fidei caussa gratias egit, et, corroboratis animis confirmatisque, ad eandem gloriam, in posterum nouis incrementis augendam, auxilium satis firmum, ab Rege ipso quam primum ferendum, promisit. Mutuis tum gaudiis ciuitas Gedanensis reuixit. Vrbs fiducia praesentis opis, ab Joanne Casimiro expectandae, laetatur, utpo-

te

te quae malis videbatur omnibus finem allatura. Legati, instrumenta propugnationis valida cernentes, peritus ciuium impavidum, atque ad omnes casus paratum, simul percipiunt, eoque impense delectati, in Poloniam reuertuntur, nuntio Regi laetissimo de ciuitatis pietate ac fide perlato.³³ Tandem numen diuinum, quod prius deprimit, quos extollere vult altius, mirabili rerum conuersione, arma Casimiri fortunauit, hostes ut comprimeret, multaque recuperaret. Quo propius aberat a Gedano, Regis sui videndi cupidissimo. Voti, tam diu nuncupati, XIV Kal. Decembr. fuit feliciter damnatum, quo tempore Rex, pompa pulcherrima ingressus, urbem sibi dicatissimam, salutauit, quae saepe sola aduersariis repugnarat. Cuncta gaudio triumpharunt, quod Rex desideratissimus saluus iterum incoluisse rediit.³⁴ Tum Rex ciuitati gratiam retulit, cuius meritis per Koryczinium, Primicerium, testimoniūm perhibuerat honorificentissimum, *in una urbe uniuersum sibi regnum seruatum*³⁵

Hactenus de triplici Gedanensium virtute, in bello Polonus inter Suecosque diuturno conspicua, casta in D E V M pietate, fortitudine sapientia temperata, fide in Regem inexpugnabili, quam magna cum majorum nostrorum

³³ Curicke p. 369.

³⁴ Idem p. 371.

³⁵ Ill. Lengnich hist. Pruss. T. VII. p. 173.

strorum sum veneratione contemplatus. Venio nunc ad beneficium triplex, quo fuit illa pace oliuensi, diuinitus concessa, hujusque conditionibus saluberrimis affecta. Principatum Sacrorum tenet libertas, momenti tanto grauioris, quanto longius officia in D E V M caetera vincunt omnia, quanto certius constat, hujus felicitatem vitae nihil esse ad salutem nullo tempore finiendam. Ecquae tandem sacrorum dicitur libertas. Libertas D E V M colendi, ut verum tibi rectumque videtur. Contraria ponitur vis, cogens alios, D E V M, prout mos fert receptus, cultu prosequi. Ita Constantinus Imperator Sacrorum libertatem sociis Christi virtute sua peperit, ut animos dedere praexceptis J E S V consentaneae religioni possent. Tanto spoliabant bono superiorum temporum vexationes, eosque formulam, profanae superstitioni probatam, adigebant. Qua de libertate sacra quam longae lites agitantur, vel furore, D E O cruciatibus aliorum ac sanguine feruendi inflammatae, vel nimia in quemcunque venerandi numinis modum lenitate sparsae. In primis duumuiri latius eas sua propagarunt auctoritate, pro gentis Batauae indulgentia propugnantes, Braunius ac Baylius. Ille de vera Belgarum religione horum defendere prudentiam studuit, suum cuique de rebus diuinis sensum permittendi. Hic effatum principis salutis nostrae, *cogite eos intrare*, sic explicauit, ut fere libertatem in sacrorum licentiam conuerteret. Aetate nostra Gallia, mitior in Hugonottos, jus idem in utramque

requisiuit partem, ac detrimentum, quod res publica ab acerbitate accipiat impotente, curatus exputauit. Lectu sane dignissima literis prodidit ciuis FrancoGallicae amans, neque ullius partis studiosus, duriorem praefulsi sacrorum Agennensium sententiam ut emolliret. ³⁶ E nostratis medium sequitur viam Stangenius, vir maxime reuerendus, de mentis conscientiae libertate et coactu. ³⁷ Neque ea nobis deserenda videtur, ita semper statuentibus. Quoniam religionis conscientia mentis agitacione regitur, quae cogi nullo modo potest, nisi rationibus vincentibus, neque, quod rectum videt, in ullius gratiam prauum putabit, solius DEI imperio subest, cuius sibi jura arrogat, quisquis metu minisque alienas audet sententias exprimere. Simulatores enim pietatis facit, non verae probitatis DEOQUE gratae amicos. Inde vero temere concludas, reipublicae nihil interesse, quid homines de rebus sacris sentiant. Fouent enim eas opiniones nonnulli, quae DEI minuunt majestatem, ipsiusque ciuitatis fundamenta conuellunt. Quibus de caussis magno studio cujusque sectae pronuntiata, ad salutem communem referantur, ea tolerantur, quae minus huic officiant, prosint plurimum, caeterae legibus grauissi-

³⁶ Dimissis aliis, duo tantum scripta commemoro, le Patriote François et impartial, ac lettre d'un patriote sur la tolérance civile des Protestans de France.

³⁷ Von der Gewissens-Freyheit und Zwang.

grauissimis coercentur, ne turbent quietem, sed, coniunctis viribus, eam conseruent. Quod si qua DEI collendi via legibus est primariis comprobata ac munita, pactis standum, neque alteri parti venia danda, ut illam contemnat, impedit, vexet. Quid hisce temperamenti ex lenitidine Belgarum obstet, non est opus pluribus remouere. Moderate scienterque cuncta ponderavit Cyprianus, immortalibus de coetu nostro meritis cumulatissimus.

Jam me ad se rapit diuinum pacis oliuensis munus, quo puriori doctrinae pristina immunitas redditur. Sanctionem sacratam mecum repete, ut prouidentiam, ciuitatis gubernatricem sanctioris, flexis genibus obserues. Es sollen alle Städte des königlichen Preussens, bey ihren Gerechtigkeiten, Freyheiten, und Privilegien, derer sie entweder in Geistlichen oder weltlichen Sachen, vor diesem Kriege sich gebrachet, und derer genossen, doch mit Bedinge des freyen Exercitii der katholischen und evangelischen Religion in obgedachten Städten, so wie sie vor der Zeit dieses Krieges im Schwang gewesen, von Thro Königliche Majestät von Polen, mit voriger königlicher Gnade und Clemenz hinführo angenommen, erhalten und geschützt werden. Fecit hic Gallia so-

E 2

lemne

³⁸ Von der Gleichgültigkeit derer Gottesdienste, Kap. 3; von der unpolitischen Gleichgültigkeit, §. 2. p. 31 sqq.

³⁹ Artic. II. §. 3.

lemne suum, cuius Franciscus Rex exemplum praeiuit, ut per legatum Lombresium sacra nostra in suam recipere tutelam, ac posteris firmaret. Junxerunt Sueci studia sua, nosque fidei socios publico foedere a futuris periculis prohibuerunt. Audi stator doctrinae emendatae, hoc unum votum, caetera omnia complexum, et Galliae Sueciaeque eundem animum serua, ut bellum, quod nos angit, iis conditionibus finiatur, quae jura nostra, pace religiosa fundata, VVestphalica auēta, asserant, nouisque firmamentis nixa, nepotibus seris transdant. Nec Poloniam poenitere liberalitatis suae debet, qua nobis potestatem Numinis, ut par est, adeundi tribuit. Eam meriti Gedanenses sunt, posteaquam belli injurias pertulerunt omnes, et ciuitatem, vitam, bona, fortunas, faucibus ejus objecerunt. Ipsa autem religio nostra nihil habet, quod reipublicae commodis officiat, praefidia potius ejus conseruandae atque amplificandae praestat eximia. Autoritatem Principum a diuina dicit institutione, eamque sacrosanctam, quia DEI personam gerant, omnibus commendat. Sacerdotum, qui, ut cum ciilibus doctoribus loquar, statum in statu moliuntur, conata refrenat, illorumque bona imperantibus subjicit, saluo cultu diuinitus imperato. Ciibus obsequii gloriam, fidem, sanctitatem conjugii, seminarii reipublicae, ac reliquas virtutes, ciue dignas, inculcat. In re, manifesta judicibus aequis omnibus, diutius morari nolo. Quid hanc in sententiam neruofius

sius Masii libro, qui inscribitur *interesse principum circa religionem Euangelicam.* Quid magis inuictum, quam Cypriani, supra laudati, disputatio, clarissimis rationibus efficiens, Pontificias contra doctrinas societatem petere ciuilem multis malis, praecipueque summorum principum jura laceffere.⁴⁰ Cujus argumentorum vim si Montesquiensis perciperet, tantum forte sacris Romanis non daret, ut ea censeret ad unius imperium accommodatoria.⁴¹ Ipse tamen postea confitetur, gentibus, in septentriones vergentibus, harumque ingenii, Protestantium, qui dicantur, pronuntiata aptius responde-re, ob studium libertatis nunquam dimittendum, cui infinita capitis sacri, quod oculis cernatur, dominatio displiceat. Itaque nulli dubitamus, quin Martia Sarmatarum gens, quae, spiritus auti decorisque plena, a majoribus hereditate acceptam libertatem antiquo jure graduque retinet, Pacis oliuensis donum, immunitatem sacrorum nobis incolumem relinquat in posterum, atque Joannis Casimiri, cuius gloria nunquam intermorietur, in nos aequitatem imitandam sibi proponat. Ipsa coelestis prouidentia, quae in Polonico bello Suecicoque religionem nostram texit, quae tranquillitate pacis eandem quam diutissime beatuit, quae, publica lege, ejus securitati consuluit, Sarmatiam mitiget, ut, quam DEO

E 3

placeat

⁴⁰ Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Pabstthums,
Kap. 21.

⁴¹ De legibus XXIV. 5.

placeat illa, inde non intelligat, sed plane videat, argumentis indubitatis, a VVAlchyo Gottingensi, splendidae viro doctrinae, lectissime expositis. ⁴²

Post sacra Gedanensibus quid gratius, quidque charius, negotiatione libera. Ea quantum complectatur boni, ex intimis prudentiae ciuilis recessibus, doctrina non minore, quam dictionis elegantia, demonstrat *Hanouius*, honore mihi singulari nominandus. Namque ducem se mihi praebuit, ad suscipiendam atque ingrediendam rationem studiorum, tam peritum, tamque humanum, ut ejus sim disciplinam tum demum datus obliuioni, cum me, quantum ex ea profecerim, poenitebit. Egit in praestantissimis disquisitionibus argumenti potissimum Metaphysici de fauore commerciorum, ⁴³ qui in officio salutaria reipublicae commercia perficiendi ponitur. Praeter caetera negotiationis praefidia hujus immunitatem jure meritoque commendauit hanc in sententiam. *Discrimina itinerum, a latrociniis et piratica commercio imminentia, eidem sunt infestissima.* Neque enim solum absterrent mercatores a tractandis commerciis periculosis, verum etiam audaciores maximis saepe afficiunt dannis aut pessundant, et reipublicae

⁴² In libro insignis perspicuitatis ac laboris, Geschichte der evangelisch-lutherischen Religion, als ein Beweß, daß sie die wahre sey, III. 3. 4.

⁴³ p. 455 sqq. in primis §. 36.

blicae grauiter nocent. Exigit igitur fauor commerciorum, ut securitati eorundem quam optime propiciatur, pactis maxime et foederibus. Haec tenus Hanouius meus, quem D E V S quam diutissime patriae totique orbi literato seruet, ut, quae comparauit ornamenta monumentis eximiis, continuanda praesertim VVolfii immortalis Philosophia, Physicis elaborandis perficiendisque, tantus tamque solers naturae spectator, expleat. Fuit quondam commerciorum libertas magnopere debilitata, cum terra marique latrocinari non modo turpitudini duceretur nemini, sed magnis etiam in laudibus haberetur. Tanta delerant obliuione gentes rationis praeceptum, nulli damnum inferendum, quod omnes communi tenantur cognatione, tanquam corporis unius membra, ab ipsa natura copulata. Ecquid ab hominibus expectabis, qui vel in D E V M suorum, ut Mercurii, virtutibus commemorant, artes scienter furandi. Nullus vero populus tantum latrocinii dedit, quantum Scytha, unde consuetudo fuit e rapto viuendit Σκυθισμός, seu scythica licentia nominata. A quibus cum fuerint oriundi Germani, non admiramur, eos quoque rapinas neque infames, neque humiles, neque ab honestate remotas, censuisse. Auctor est mali moris Caesar, latrocinia apud eos nullam habuisse infamiam, quae extra fines cujusque ciuitatis fierent, atque ea juuentutis exercendae, ac desidiae minuendae caussa non improbata praedicasse.

⁴⁴ Sed

Sed luculentius perhibet testimonium quaestio, sine cuiusquam offensione, amica, apud Homerum passim frequentata, an praedones estis, hoc est, nulla amicitia, nullo hospitio, nullo nobiscum foedere juncti. Namque tum, quod de Phocensibus Justinus memoriae prodidit, latrocinium gloriae habebatur.⁴⁵ Temporibus infrequentibus cum majore literarum cultu juris aeterni creuit obseruantia, ut, cum non omnis ferat omnia tellus, ac D E V S ipse videretur terras mutua sibi indigentia conciliasse, liberius per maria vagari liceret. Haec Grotius de mari libero, tot tamque validis effecit argumentis, ut Seldenus, de mari clauso, partibus nimium fauens, parum apud me valeat. Quoniam tamen nihil obstat, quo minus partes maris in ditionem potestatemque redigantur, gentes nec jus, nec fas migrant, si negotiandi veniam limitibus quibusdam circumscribunt, ac vi, vectigalium magnitudine, aliisque remediis multos prohibit. Quam cautionem bellum praecipue populis injungit, in quo facile potest hostis per speciem commerciorum insidias texere, quodque omnes injurias aduersus eos, qui arma contra ceperunt, terra marique aufert impunes. Quis igitur foedera non maximi faciat, quibus facultas commerciorum datur atque augetur, quis pacem non exoptet, in qua mercatores sine periculo cum mercibus, quocunque placet, commeant, ac naturae dotes, ad vitam commode agendam necessarias, important,

important, quis pacis conditiones non in sinu oculisque ferat, quae mercaturam, hominum generi tam frugiferam, subleuant atque communiunt. Gaude vero Gedanum pacis oliuensis prouisione, ejusque fructus quam longissime cape. Evidem magnopere gestio, quoties mentionem tui nominatim factam, tuoque ocello hac cautione prospectum video. ⁴⁶ Ebennäfig soll die Stadt Danzig im Königreich Schweden und allen andern angehörigen Provincien, aller und jeder Commercien, Kaufmannschaft und Zölle frey zu geniessen haben, so wie sie vor diesem jüngsten Kriege genossen. Vocat ipsa loci natura propter Vistulae marisque vicinitatem Baltici, Gedanum ad instituendos mercatus, ac fortunas hisce studiis locupletandas. Feruent igitur ibi commercia interna, quibus ciues inter se juuant, ut, quae sint ad vitae necessitates, commoditates, jucunditates, opportuna, semper abundant, ac publicum decus priuatumque exsplendescat. Cui consulunt copiae manus opificum artificiosae, cum rei pecuariae cultura ac rusticæ, artibus liberalibus suppetias cuique fermentibus. In primis annonae curatur ubertas, ut e frugiferis locis vitae subsidia congerantur, atque exteri, non ciues modo, habeant, unde viuant. Quoniam vero sapienti varietate caritas ejus vilitasque permittatur, ne difficultas grauior fatiget, abundantia nimium laxet, cauetur, horreis instructis, quibus frumentum futuris usibus ser-

F ·

uetur.

uetur. Quicquid natura fert, quicquid ars excolit, generosi spiritus libertatis alunt, qua minuta vel oppressa, contentio remittit industriae, tandemque lassitudine deficit. Praeclare constitutis internis commerciis, Gedanensis ciuitas in externa cum gentibus peregrinis hoc diligentius incumbit, quo plures opes haec illis afferunt. Fac, interna commercia sola maximo ardore impetuque, certantibus ciuium ingenii manibusque, tractari. Nullae ciuitati fiunt accessiones, quod, possessoribus tantum mutatis, eadem copiae manent. Majus faciunt lucrum externa commercia, ac duplicibus praemiis diligentiam periculique audaciam remunerantur. Etenim domi nata, aptiusque composita, majoris apud exteras venduntur, eorum indigentes magis cupidosque. Contra ea suas facultates exteri nobiscum communicant, in uberrima rerum affluentia eodem fere, quo cum ciuibus ipsis, pretio, saltem non multo carius, ubi res minus afflunt. Itaque modis omnibus commercia sunt externa quaerenda, concessa retinenda, ac quotidie dilatanda, quae ciuium rem familiarem ditant, et, cum respublica e singulorum bonis congregatis cumuletur, communem fundant opulentiam, atque indies adaugent. Te profecto, dulcissima patria, oliuensis pax non potuit summa suauitate non perfundere, quae in tuis sermonibus ac mentibus semper infideat. Ejus beneficio Suecia tibi patet, omnesque caeterae coniunctae regiones, ut Suecia se tibi, tu te Sueciae, impertas. Neque

unum

unum genus alterumque commerciorum tibi tribuitur concediturque, sed uniuersa atque singula libera permittuntur. Vectigalium postremo exactio, qua non nunquam nihil acerbius, negotiandi cursum non impedit, immunitate plena liberalissime concessa. Haec tibi deus otia fecit, ut ingentes compensarentur sumptus, quos in Regis tui ac Regni Poloniae commoda impendiſti, non millibus, sed decies centenis millibus aestimandos, ⁴⁷ quod oēto millia equitum peditumque per omne tempus alebantur, quo belli periculum vel instabat, vel praesens a finibus erat urbis fortiter depellendum.

Supereſt postremum pacis oliuensis beneficium, in Gedanenses collatum, adhibita prudente cautione, de Koenigsmarkio comite Suecorum capto. Aculeos enim relinquunt injuriae, quamuis in bello necessariae, ut earum sensus facile redeant, niſi legibus sacratis euellantur extorti, vel hebetentur faltem ac retundantur. Quas suspicioneſ Thrasybulus, ille pacificator ciuium, intellexit sapienter, iisque commotus, obliuionis legem sanxit, quae vulgo dicitur amnestia. In hac quantum necessitatis insit, utilitatis quantum, praestanti declararunt doctrina Berneggerus, hujusque discipulus, Boecklerus, viri ciuilis scientiae prudentissimi. Alter oratione quarta laudem ejus exornauit, plurimisque stabiliuit ar-

gumentis. Alter singulare disputatione magistri pae-
cepta, copiosius dilatata, in majore luce posuit.⁴⁸ Te-
stis consilii publice salutaris Nepos noster,⁴⁹ quod il-
le paeclarum nominat, nequis, reconciliata pace, ante
actarum rerum accusaretur, neue multaretur. Propius
quidem lex Thrasybuli ciuiles discordias sopit, in his
eo studiosius seruanda, quo plures ciuibus inter se no-
cendi solent occasiones dari. Nam quotidiana consuetu-
do vitae, una societate consticta, perpetua animum re-
fricat memoria juris imminuti, cum querelis ingratis, et
procliui sui ulciscendi facultate. Nec tanta nos ira ho-
stes concitant, ubi damnis student nostris, quod ab illis
nihil, nisi hostile pestiferumque, expectamus, cum pri-
mum arma capiunt. At quae ciuis ciui imponit vulne-
ra, maximo dolore afficiunt, quod ab unius corporis
parte infliguntur, cuius mutuum auxilium, non pestem,
speraueras. Quam grauiter fuit iis resistendum, qui si-
mul cum Thrasybulo fuerant in exilio, caedem facturi
eorum, cum quibus in gratiam redditum erat, ut lex
non ferretur modo, sed etiam valeret. Neque eo se-
cius in bellis quoque externis plurimum prodest, vo-
luntaria quadam obliuione mala conterere perpetrata,
ac, ne gentium fiant odia sempiterna, prouidere. Me-
ritis igitur laudibus Principum concelebratur aequitas,
induciis pacisque compositionibus solemnes formulas ad-
jiciendi,

⁴⁸ Vid. Boecleri opera a Fabricio edita T. I. p. 437.

⁴⁹ In Thrasyb. c. 3.

jiciendi, nemini jus fasque concedi, praeteriti temporis detrimenta atque offendentes vindicare, crimini vertere, persequi, imitatione Thrasybuli praestantissima, praeferunt inter gentes, locis, commerciis, cognatione, superioris temporis amicitia, sibi conjunctiores, ne quid de pluribus vinculis commemorem. Immo vero ne priuatorum quidem similitates negligendae videntur, antiquitate generis, gloria majorum, suaque dignitate illustrium. Talium quid possit amplitudo in gentibus nationibusque concitandis, vel unius Hannibal exemplum fixum certumque reddit. Sectantur enim plerique in vita, quod Aristoteles ad Nicomachum judicat, seruile esse, ab aliis male facta concoquere. ⁵⁰ O pulcherrima virtus amoris in hostes magnanimi, quam praedicant viri summi, praeter Christi socium nemo consequitur. Quid magnificentius his a Cicerone disputatis. *Non sunt audiendi, qui grauiter irascendum putant inimicis, idque excelsi et fortis viri esse censem.* *Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius, placabilitate atque clementia.* ⁵¹ Hic idem tamen philosopham sententiam ignava opera deseruit seque ipse condemnauit. *Quam humile votum. Odi hominem, et otero, utinam ulcisci possem.* ⁵² Quam turpis publica professio. *Sic ulciscar facinorum singula, quemadmodum a quibusque sum prouocatus.* ⁵³ Quapropter

F 3

infestis

⁵⁰ IV. 3.⁵² Ad Atticum IX. ep. 12.⁵¹ De offic. I 25.⁵³ Post redditum ad Quirites c. 9.

infestis animis quo quis occurrentum modo, quos refrenare tam difficile est, ne spiritus sibi nouos sumant, turbas excitant nouas, et ciuium sanguine iracundias implacabiles fatent, sed longa vindictae intermissione mitigentur, quod tempus ipsum perturbationes animi sanat

Pari circumspetione transactio Oliuensis in futura fuit Gedani vacuitate timoris tutelaque defixa, genero Suecorum pergrauiter offenso, quod suis poterat opibus quam primum ad mala malis reddenda abuti. Capiunt Gedanenses anno post salutem humano generi partam millesimo sexcentesimo sexto et quinquagesimo III Id. Septembr. ipso solis die, inter Sacrorum prourationem, Joannem Christophorum Koenigsmarkium, ducem Suecorum, multis fortissime gestis spectatum, in litoris crepidine, deducunt in urbem, custodiaque Ostii Vistulae continent.⁵⁴ Ita fortuna belli varia, quem modo victorem citauerat, libertate spoliatum de felici statu dejicit. Quas repentinis vitae humanae commutations, quibus, ut quisque maxime eminet, sic saepissime parere cogitur, epistola humanitatis plena, Seneca dominis ante oculos ponit, ut alios, se longe inferiores, liberalius tractent, incerti, quid erastinus ferat. *Mariana*, inquit, *clade, quam multos, splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depreffit.* *Alium ex illis pastorem, aliud custodem*

dem casae fecit. Contemne nunc ejus fortunae hominem, in quam transire, si contemnis, potes. Sic ille,⁵⁵ *Multo quidem lenior hominibus eximiae dignitatis sors in captiuitate obtingit, quam caeteris militibus. Horum quam saepe misera, quam miseranda conditio, ut inter quadrupedem hominemque parum intersit. Utinam Principes constanti retineant memoria illud Grotii, ab omnis caritatis commendatore rectius instituti sunt christiani, aut esse debent, quam ut a miseris hominibus interficiendis abduci nequeant, nisi minoris saevitiae concessione.*⁵⁶ *Quamuis autem captiuorum nobiliorum res inclinatae longe minus molestiae pariant, habent tamen aliquid, quod non satis dignum illustri loco videntur, praesertim quando longius durant.* At Koenigs-markius quatuor annos circumcluditur, nec prius libertatem accipit, quam bellum totum finiatur.⁵⁷ Si nihil pupugit herois animum, saltem erepta tantum temporis augendae gloriae facultas irritauit. Graues igitur caussae Gedano suberant, quare timendum putaret. Sed omnes curas, omnem timorem, pepulit singularis pacis oliuensis propugnatio, qua tam discordiarum jussit omnium memoriam obliuione sempiterna deleri, quam Gedanensibus in posterum parcí. Dabo primum promissionem uniuersam. *Es sey eine ewige Vergessenheit*

und

⁵⁵ Ep. 47

⁵⁶ De Jure belli et pacis III. 7. 9.

⁵⁷ Curicke l. c. 16. art. 2



und Amnestie dessen allen, was, an wes Ort, oder Weise, von einiger Seiten bishero feindseliges verübet worden, so daß weder dessen, noch einiger anderer Ursachen oder Prätexts halber, ein Theil dem andern hinführo einigen Hass oder Feindschaft, unterm Schein des Rechtens oder thätlich anthue, oder durch die Seinigen oder Fremden anthun lasse.⁵⁸ Quid speciatim de Koenigsmarkio constituitur. Es soll der Herr Graf Koenigsmark frey gelassen werden. Doch soll derselbe vor dieser seiner volligen Restitution durch ein absonderliches Reversal-Diploma Versicherung thun de non offendendo, noch etwas wider Thro Königliche Majestät und Kron-Polen, und specialiter die Stadt Danzig zu rächen. Tot tantisque remediis irae temperantur, odia funditus extirpantur, lenitas exorabilis reficitur, atque ciuitas, ad resistendum Suecis imbecillior, publico robore confirmatur. Quibus de caussis patriae clarissimae pax oliuensis in medullis haerebit, ut precationibus sanctissimis eam sibi posterisque propriam expetat atque aeternam. Quid sacrorum ejus libertatem affirmauit. Pax oliuensis. Quid commerciis portum perfugiumque praebuit atque incrementum exoptatum. Pax oliuensis. Quid ultiōnem memorem restinxit. Pax oliuensis

Vtinam mihi licuisset esse tam felici, ut ubiores rei gestae fontes adirem, quas in celebratissimo Sueciae regno

regno magna hauriendi cupiditate quaerebam. Nec studiis defuit meus Patruelis longe charissimus *Gabriel Joachimus*, tum legationis Saxonicae splendidissimae ab epistolis. Is pro suo erga me amore nihil praetermisit, quod voti me damnaret. In ipsa tabularii penetrauit adyta, ubi incorrupta totius negotii monimenta se reperturum sperabat. Sed querelas audiit lamentationesque de jactura thesauri, cuius videndi fruendique desiderio flagrauerat. Laudabatur opus ingens quinque voluminum in forma ordinis majoris manu scriptorum, quo fuerint acta pacis oliuensis comprehensa, idque latino sermone. Nihil vero dicebatur ejus flammis ereptum, quibus anno saeculi decimi septimi octauo et nonagesimo arx conflagravit regia, nisi volumen quartum, ipsum mancum mutilumque. Ne hoc quidem patebat, sic reconditum, ut esset temporis multum perdendum eo requirendo, quod parua rei literatae commoditas, inde expectanda, non sarciret. Sic omnis opera Cognati fructu caruit, cuius in me voluntati gratiam referre justiorum non possum, testimonio virtutis ejus, quod sanguinis mihi conjunctio non exprimit, sed vita apud me Vitembergae honestissime gesta. Ingenium ejus litterasque laudent alii, quos tanta necessitudine non attingit, qui que me rectius de studiorum genere, in quo versabatur ille, existimabunt. Mihi quidem non potuit non probari eximia in D E V M pietas, diligentia nunquam remissa tractandi liberales artes, integritas mo-

rum, quotidianis documentis spectata, caritas in me
 plane singularis, ardor praecipue cuncta praeparandi
 subsidia, quibus digna patriae olim praestet officia.
 Nec mediocre tulit curarum suarum Regis nostri Poten-
 tissimi Gratia, amicorum Principis fauentibus suffragiis,
 maximeque Per Illustris Sackii comitate, in quo viuum
 spiransque prudentiae publicae ac virtutum habuit omni-
 um exemplum, cujusque incredibilem facilitatem per
 omnem vitam sanctissime colet. Evidem consuetudi-
 nem ejus, qua hic usus fui, nunquam recordor, quin
 commouear totus ad preces pro illo fundendas, ut sum-
 mus vitae nostrae arbiter hanc gentis nostrae expectatio-
 nem diu tueatur, semina probitatis, in ejus animo insi-
 ta, continenter augeat, futurumque paternae senectutis
 praesidium stabilitat, cuius sedulae educationi haec sunt
 gaudia destinata. Flectat Procerum Gedanensium animos
 in partes ejus, ut illius desiderium patriae pro virili sa-
 tisfaciendi leniant, indolemque suscipiant ornandam tuen-
 damque, quae multo plus efferre conatur, quam acce-
 pit. Evidem spondere, in meque recipere non dubito,
 fore, ut prius omnia periclitetur, quam patriae commo-
 da deserat, ac beneficiis, in se conferendis, sese indignum
 reddat. Namque, pectoris diuturno vitae usu cognitis
 igniculis, persuasissimum habeo, quicquid honestum sit,
 quicquid laudabile, quicquid cum virtute conjunctum,
 id solum ab eo in bonis veris haberis, talemque eum sem-
 per esse, qualis haberis velis, in quo Socrates compendia-
 riā ad gloriam viam illi monstrauit

Forsan,

Forsan, quae patrueli mihi que negata fuerunt, copiosissima proferet doctrina celeberrimi vir nominis, ac Lipsiensis Academiae decus, *Boehmius*. Huic contigit, quod nescio an ulli, ut commentarios pacis tam commemorabilis locupletissimos consequeretur. Nec potuissent in manus incidere doctiores, limandaे rerum gestarum commemorationi natas. Testantur pragmaticam historiae tractandae prudentiam scripta viri, non sine magna honoris significatione a me nominandi, politissima, quibus in amoenissimis locis nouam lucem vetustati attulit, ejusque monimenta solerter explicauit. Quo cupidius orbis expectat eruditus industriam transactionis oliuensis illustrandae, probe narūs, illum non, quod multi faciunt, ē riūulis, sed ipsis fontibus lectoris sitim restinguere. Nihil vero mihi potuisset exoptatius euenire, quam si licuisset Thucydidem historiae Polonicae, *Lengnichium*, vi-
rum summum, coram de grauioribus argumentis qui-
busdam consulere. Saepissime reminiscendo res prae-
stantissimas recognosco, quas ex eo audiui, cum prae-
cepta grauiter ornateque dicendi traderet, locis omnis
historiae lectissimis exculta. Quamdiu certe res Polonicae
posteriorum memoria vigebunt, quamdiu Gedanum me-
ritorum ejus fructus percipiet, tamdiu Lengnichium no-
men et laudes permanebunt. Sed, quod doctrinæ de-
est, religionis, ut promisi, sensu compensabo. Is quan-
tum Vobis placeat, quantum Vos inflammet, tum re-
rum testimonia loquuntur complura, his ipsis feriis edi-

ta, tum pro dignitate *Hellerus* meus collaudat, » castae
Theologus doctrinae, spectataeque virtutis, quae D E V M
reueretur, socioque candide fauet. Nam rerum diuina-
rum disciplinam, non ostentationem sapientiae pietatis-
que, sed legem vitae, putat, ac decretis suis prius ipse
paret, quam ad obsequium flectat alios, dissimillimus
eorum, quorum cum vita mirabiliter pugnat oratio.
Quo justius patriae doctorem gratulor de ea praeclaris-
sime promeritum, ejusque votis, sanctissime susceptis,
mea nunc adjungo

Primum D E O gratias ago maximas, quod Majo-
rum virtus hereditate pulcherrima ad posteros transiit,
horum-

- » Fecit hoc ex animi sententia orationi sacrae praefatus auspi-
cali: **Ew. Hochedlen Gestrengen Herrlichkeiten**
erlauben, daß ich nach den Lebzeugungen und Empfindun-
gen meines Herzens frey gestehen darf, daß ich bey der ganz-
en Einrichtung unserer Danziger Jubelfreude, solche Kennt-
zeichen Dero Chrfurcht vor GOTT, Dero Hochachtung
gegen sein Wort und weisen Sorgfalt für das allgemeine
Wohl des Staats, welches sich allein auf die wahre Re-
ligion gründet, wahrgenommen habe, daß ich mich in
der That glücklich schätze, unter solchen frommen und
weisen Beschützern zu stehen, welche schon durch Ihr
Beyspiel den Verächter des Glaubens, der die Bande
und Seile der heiligsten Religion zerreißen wil, beschämt
machen und ihn von seinem unsinnigen Wesen zurück
halten können.

horumque strenue factis non propagatur solum, sed etiam augetur. Floret adhuc castimonia sacrorum, et, quamuis nullius de D E O opinionibus necessitas inferatur, tamen prouidetur mature, ne sentiendi licentia rempublicam turbet, et, conspiratis factionum partibus, coetus purioris integritatem corrumpat. Floret prudentia, quam saepius mirari soleo, ciuitatis regundae, his praesertim ancipitibus rerum vicissitudinibus egregie declarata, firmitate animi patriae tuendae, ac neutrius partis studio, quod ita fuit temperatum, ne Summis Europae Proceribus conquerendi caussa daretur, nec fides videatur in Principem Poloniamque violata. Floret hujus fidei obseruantia tanto magis, quod Gedanum regni tutela Sarmatici gaudet, Regisque Optimi sapientem moderationem juriumque priscorum concessum, quo par est, obsequio complectitur. Sic reuiuiscit Majorum gloria, quorum non raro mihi imago ante oculos versatur. Certe nunquam poterit e memoria euelli mea decus Schmiedeniorum, Engelkeniorum, Borckmannorum, Boemeliorum, Dieffeldorffiorum, Grodeckiorum, VVahliorum, Rosenbergiorum, Ferberorum, ne de pluribus commemorem. Ecquis enim percensendorum finis fieret virum, quos venerabundus quondam colui, quorum, Parentis excitatus cohortationibus, summa in omnem rempublicam studia spectaui, quorum stirpes illustres, diuina prouidentia, laetissime crescentes, suspexi. Faxit Numen praepotens, ut, sicut majorum virtus

in posteris non relanguit, ita posteri quoque iisdem virtutum praemiis fruantur. Stet Sacrorum libertas, Oliuensi pace munita, neque ullis insidiis fracta collabatur, quibus iniqua solent odia, a Christi mansuetudine, omnibus commendata, desciscere. Stet incolumitas commerciorum, Oliuensi pactione firmata, ut Gedanum populis aliis, alii populi Gedano, profint. Stet securitas ab omni impetu, quem nocendi cupiditas obtrectatioque faciat, quo domi forisque tranquillitas obtineatur. Quae publicae salutis praesidia cum nequeant sine Regis salute, sine Poloniae flore, sine ordinum Gedanensium concordia impetrari, D E O postremo sanctissime supplicabo, ut haec nobis bona quam diutissime concedat. Vigeat AVGUSTVS III, patriae Parens desideratissimus, quo meliorem benignoremque si nobis optaremus, hoc coelesti munere nos redderemus indignissimos. Veniat, Joannis Casimiri exemplo, in spem temporum meliorum, cui, salutem desperanti, D E V S affuit subito, hostibusque disiectis, pristinum splendorem reddidit. Hujus pacificatoris summi praesens auxilium mitissimi Principis gratiam remuneretur, qua Gedanum texit, ne copiis exterris negotiandi cursus et quies turbaretur, Imperatrice Russorum glorioissima urbi conciliata. Tanto maestati beneficio Gedanenses precatione mecum supplice certant, ut, pace tandem stabili composita, desideriis omnium satisfiat, et Saxonia, tot malis exhausta, tanta vastatione afflita splendidius renascatur. Audi Poloniae cūflos

ftos Saxoniaeque votum simplex, cuncta continens, unum omnium, redditum Patris salui, cuius conspectu Dresda recreetur, atque e ruinis excitata surgat. Reduc simul Principe in Saxonicae juuentutis, spem posteritatis, delicias Musarum, gaudium ciuium, et Conjugem omnibus virtutum ornamentis insignem, cum subole dulcissima, hisque Patri, Socero, auo, redditis, animum regium permulce, calamitatis adeo grauis sensu facile permouendum. Gentem Augustam caeteram augustis fortunae incrementis amplifica, filios Regis, vindices Patris patriaeque, in fidem recipe, Rutamque Saxoniam quotidie magis efflorescere jube. Defendat Polonia, quae Gedanum protegit, libertatem suam, illud firmamentum roburque suum, et, voluntatibus cum capite suo, cuius vultum nunc intuetur, atque inter se, mutua charitate copulatis, externa caueat pericula, fecunditate pacis ac rerum omnium copia felix. Nunc me Gedani charitas tangit, ut omni precum pietate pro rebus ejus secundissimis contendam. Quid magis necessarium, quid frugiferum magis, quam concordia. Haec omnes, aliis sententiis discrepantes, in unam mentem compellit, ut, junctis viribus, rem ciuilem tutentur. Haec initia parua ad ingens euexit fastigium, quod, ea sublata vel imminuta, statim labare coepit. Haec Romanos in pace tutos, in bello viatores, effect, dum ciuiles turbae ciues inter se concitarent, ac summam reipublicae in maximum conjicerent discrimen. Itaque totus effundor in supplicationes, ut DEVS, amo-
ris

ris auctor statorque, membra corporis unius deuinciat, quo voluntatum consensus, in omnia, quae publice profunt, conflatus, urbis florentissimae prosperitatem communiat, ut liberi nepotesque laetantur. Fulciat Senatus PerMagnifici dignitatem, quam cum alii, tum in primis *Broenii*, *Schumanni*, *Conradi*, *Groddeckii*, *Gralthi*, *Zerneckii* consiliis prudentissimis cohonestant. Subleuet sene~~t~~utem, strenue factorum conscientia jucundam, *Per Illustris Generosissimum de Schroeder*, non ciuib^s tantum, sed etiam exteris multiplici laude spectati. Hi laudare satis non possunt curam Patriae, ne quid existimationis amittat, sed rerum prosperarum accessionibus crescat. Gymnasium vero Patrium, sedes Musarum, doctorum celeberrimorum labbris, juuenumque politissimorum diligentia, longe clarissima, quid *Schroedero* non debet, cuius du~~t~~^a a~~et~~^a Jubilaei secundi Gymnasi Gedanensis splendide sunt nuper foras data, ac breui pacis oliuensis congratulationes sub jungentur. Quod gaudium duplex ac solemne homines docti tanto majoribus Viri PerMagnifici laudibus ornant, quanto pluris literas aestimat, quanto literatos fouet humanius. Triumuiros satis est nominasse, *Hanouium* in memoria ProtoScholarcharum et ProtoBibliothecariorum, “*VVernsdorffium*, a~~et~~^a Jubilaei praefatum, “*Andreamque Schottum*, virum Consultissimum, atque historiae

“^o Vid. Acta Jubilaei secundi Gymnasi Gedanensis p. 254. 255

“^o l. c. p. 19

historiae peritissimum patriae, amicum et fautorem meum singulari cultu honorandum, in analectis ad athenas Praetorii Gedanenses.⁶² Hi omnes certatim mecum precantur, ut hoc lumen curiae diutissime splendeat, hoc insigne Patriae stabile propriumque maneat, hoc ornamentum gentis suae, quantum mortalibus licet, temporis spatium supereret. Praesit judiciis Scabinatus, justitiamque colat, fundamentum felicitatis communis, aequitate mitigatam, qua summi cum infimis pari jure continentur, cujusque facilius impetrandae caussa homines in ciuitates confluxerunt. Nerus rei gerundae Tertius roboret ordo, negotiationi prospiciat, caeterasque opportunitates paret. Ita vinculo triplice arctius colligato, quae Majorum virtus fundauit, ad omnem temporum memoriam proferentur

Habetis, Patres Venerandi, Ciues Honestissimi, comprecationes, quibus hic Vitembergae perfuncti solemnis sumus officio, fama ad nos perlata, saecularem pacis Oliuensis memoriam Vos redintegraturos. Juuit patruelis amantissimi Joachimi Guilielmi, institutum, mihi probatum, Academiae suffragatio, atque in templo arcis publica religione consecrauit. Ingens hominum concursus haec frequentauit sacra, corona literatissimorum hominum condecorauit, exterorum praesentia, dignitate eminentium, illustrauit. Omnes pro reipublicae

H

Vestrae

Vestrae fiore ac perpetuitate vota concepimus, Illustri
Trillero, non minore salutaris scientiae, quam eruditio-
 nis omnis laude, immortalitatem diu promerito, religio-
 nis nostrae sensus, carmine spiritus pleno, acuente, cu-
 jus in nos fauorem publice gratissimus praedico. Ego
 vero, dum vita diuinitus mihi tribuetur, Patriam cha-
 rissimam summa pietate complectar, quae Parentem vi-
 um mortuumque complexu suo tenet, quae meos ho-
 noribus, beneficiis, studiis cumulat, quae prolixa in
 me voluntate, mihi tam honorifica, me in perpetuum
 obstringit, Numenque, quod omnia moderatur, nixus
 genibus semper rogabo, ut Pacis Oliuensis bona aduer-
 sus incertos ac funestos omnes casus praemuniat, imita-
 tione virtutum auitarum fulciat, ac sacrorum libertatem,
 abundantiam commerciorum, securitatemque publicam,
 quoad homines erunt, clemens ac propitium conseruet





5.400

999938 E

XXXXXXXXXXXXXX

5. 20°

